

**Badische Landesbibliothek Karlsruhe**

**Digitale Sammlung der Badischen Landesbibliothek Karlsruhe**

**Atlas minor Gerardi Mercatoris**

**Mercator, Gerhard**

**Amsterodami, 1610**

Zurichgow & Basiliensis provincia

[urn:nbn:de:bsz:31-118360](#)

## Zurichgow, & Basiliensis Provincia.

278

**D**E Helvetia generatim dixi, lequuntur Partes. Has Mercator tribus Tabulis sequentibus graphicè delineatas exhibet. In prima, Provincia duæ, ea quæ vernacule *Zurichgow*, & *Basiliensis*; in secunda *Wiflispergerow*; & in tertia *Argow* proponit, quarum descriptiones una cum Lacus Lemani Chorographia, ordine dabo. Ad priorem Provinciam quæ prima Tabula depingitur quod attinet, ea

*Zurichgow* vernacule, *Tigurinus pagus* Cæsari dicitur. Solum hujus tractus & potissimum per circuitum *Tiguri* civitatis primaria est valde fecundum, feraque Vini & Frumenti plurimi. Vinum tamen plerumque ell subacerbum, nec potest ob vicinas Alpes ad perfectam pervenire matutitatem. Maturerit autem Vinum, ea potius mitefcit a sua austeritate post aliquot annos in penu conservatum. Vrbs hujus Provinciæ primaria Latinis *Tigurum*, proximis aliquo seculis *Thuregum*, dicta, vernacule *Zurich*. Vetusissima est Vrbs, sita loco ameno ad exitum Lacus magni qui hic desinat, excluditque arnem *Lindmagum vulgo Limmat* dictum, quem haud procul la *Glarona* recipit, & dividit Vrbem in duas Civitates majorem & minorem, quæ tamen tribus conjunguntur amenis pontibus, in quibus frequentes Civium sunt deambulationes. Forum habet frumentarium amplissimum, in quo ingens Frumenti vis hebdomadatim divenditur. Incredibilem Piscium copiam Lacus Tigurinus huic Vrbi suppeditat. Forum annonæ illic locuples est, lacus subiectio idoneus. Esti autem Tigurum quinto demum loco Helveticò scederi acceserit, nihilo tamen minus propter Vrbis celebritatem & potentiam princeps locus omnium consensu illi datus est, quem hodie quoque aucto scedere retinet in Comitiis, Legationibus, aliisq; publicis actionibus. Viros illustres & claros multos habuit: *Conradum Pellicanum* lingua Hebraæ, Chaldaæ & Thalmudicæ peritissimum: *Theodorum Bibliothecum*: *Conradum Gesnerum* Polyhistora illum *Januariu[m] Tauru[m]*, ac multos alios egregios viros. *Tigurinus Pagus* habet extra urbem Praefecturas *Majores & Minores*. Majores sunt *ix*, *Kyburg* Comitatus: *Grevenensis Praefectura*: *Andelsingen*: *Grifensee*: *Egg*: *Libera Provincia*: *Regensberg*: *Vaduzvillana*, *Wadischwyl*: *Lauffen* ad cataractas Rheni, *Lauffen*. Minores *xxii*. *Vaduzum*, *Winterthur* & *Steina* Opida Tigurinis parent, proprios tamen Magistratus habent, sed Tigurinorum editis

*Tugium Pagus*. tenentur & in bello illis militant, propriis tamen signis utentes. Adcenetur huius Provinciae *Tugium* pagus, *Tugium*, vulgo *Zug*, Opidum, ejusdemque nominis Regio, versus Septentrionem, Sutianam vicinitate attingens, in pede pascui, & vitibus consitit Montis lacui pisculo adjacet, cui a Civitate nomen *Lacus Tugius*, qui Meridiem versus ad Artense Opidum extenditur. Agrum compascuum, Vini Frumentique feracem habet.

*Sols fertilitas*. Ejus cultores *Tugini*, Straboni vero lib. *vii* *Toxigeni* dicuntur, qui cum Tigurinis & Cimbriis initio foedore, Romanis se opposuerunt. Consulendi Plutarchus in vita Marii & Eutropius lib. *v*. Paruit *Tugium* aliquando nobilibus, postea in Austriorum potestatem pervenit: Hi, bello Helveticò, perpetuo praefidia illic aluere, quæ Sutios & Tigurinos infestabant. Itaque anno M *ccclii* Tigurini cum quatuor aliis pagis expeditionem adversus *Tugium* suscepere. Praefidarii, munitionibus Opidi diffidentes, ante adventum Helveticorum id deseruere, Cives tamen, qui fidem Austrio servare vellent, obsidionem per dies xv sustinuerunt. Tandem ditionem fecere,

*Regio.*  
*Sols fertilitas.*

*Urbs Tigurum.*

*Sols fertilitas.*  
*Imperium ma-*  
*rum.*

ZURICHGOVIA.

279



## Z V R I C H G O V I A.

280

fecere , & Helvetius sacramentum dixerunt , hac conditione : si intra p[re]finitum tempus Dux Austris eos, exercitu adducto , obsidione liberaret, ab Helveticis sacramento liberi , in ejus obedientiam redire possent. Cum autem vidissent sibi nullam in Austrio spem esse , Helveticos federi se junxerunt. *Tugium*. Pagus ii habet partes , & in illis Conventus xv , ex quolibet autem Conventu ix eliguntur Senatores qui regioni consulant. Opidum ipsum duorum Conventuum loco censetur. Ager vicinus tres Conventus habet, *Montanum*, *Wallen*, *Egeriam*, *live Aquae Regiae*, *Baram parochiam*. Imperant autem *Tugini* Opidani per Praefectos in Urbe commorantes his locis : *Cham* Opido , *Andrea* vico , *Hunelberg* *Wacheville* , *Steinhus* pago , *S.Wolfgang*. Hac de priore hujus Tabula Provincia , sequitur altera , nimisrum *Basiliensis* , ab inclita Urbe Basilea sic dicta. Dicitur & *Sungovia* , quod nomen a Sequanis deducitum esse haud obscurae est conjectura, quam etiam Rhenanus approbat, rerum Germanicarum libro tertio. Agrum habet Vini optimi, Frumentique feracissimum: ut etiam vicinis annona & caritate pressis, succurrere valeant ipsius Incolae. Sunt & Pecorum pascua latissima. Hanc Regionem olim , Scudo teste, *Raurici* Ptol; *Casari* *Rauraci* infederunt, quos refert, Helvetiorum exemplo, omnia sua Opida vicosque , & quicquid edificiorum habebant, exusisse. *Basilea* inclita Vrbs hodie Regionis Caput. Hanc nonnulli *Basileam* dictam a Basiliaco hic reperto, quorum opinio absurdia est, volunt. Alii a *Basilea* Juliani Imperatoris matre. Rhenanus a trajectu , quem lingua Romanensis , hoc est Galica *Passum* vocat, ut sit dicta *Basilea*; quasi *Passilea*. Et addit; trajectum hoc loco fuisse verisimile esse, etiam dum stante Augusta , quod hic propter vallem per quam torrens est *Byrsa* ductus fluit , ripa sit humilior, & ob multas causas ad transitum aptissima, apud Augustam autem abrupta. Hanc tamen conjecturam Munsterus rejicit , auctoritate Marcellini, qui Civitatem illam Graeca voce *Basilia* id est *Regnum*, vocat, quasi *Regnum* seu *Regiam* Civitatem. Alluitur haec Vrbs Rheno , qui eam pene medianam dividit , nisi quod ponte unitur. Habet Vrbs ipsa commoditatem magnam a Rheno , quia ad eam plures sunt navigationes magnique potest adiri oneribus. Passa est ante annos ducentos multos & graves terrae motus. Sed rursum est instaurata, & anno MCCCCLX a Pio Pontifice Academia ornata , quae omnibus ab eodem donata privilegiis, iuribus & immunitatibus, quibus fruuntur Academiz Bononiensis , Colonicensis , Heidelbergensis , Erdordiensis, Lipsensis & Viennensis. Praefecturas habet *Basilea* quae sunt; *Faren-Sperg Arx*; *Riedfeld* in edito Monte sita: *Wallenburg* Opidum: *Homburgum*: *Munchenstein*: *Romstein*. *Toggius* Comitatus ubi *Togwy* opinor est, subest Abbatii S. Galli, cum Toggiani Cives sint Sutiorum & Glaronensium: *Rapperswyl* Comitatus: *Stratberg* Comitatus opinor, ubi *Stratberg* corrupte scriptum existimo: *Kilchberg* Baronatus. Reliqua *Tugini* Pagi & *Tigurini* habes in Tabula Argow. Abbatiæ Imperii in hac Tabula, que neque in Suevico Circulo, neque in Germania Universali monstrantur sunt *Reichenow*, *Schaffhausen*, *Kreuzlingen*, *Pfeffers*, *Pfeffikon* opinor. Fluminibus haec regio rivulisque rigatur pluribus , quos omnes tandem Rhenus recipit. Inter hos *Rhenus*, *Byrsa* & *Wiesa*. *Byrsa* ex Iura monte per multas convales Basileam usque devolvitur , plurima secum deferens ligna & lignorum rates. *Wiesa* vero flu. ab opposita parte a *Nigra Silva* segregatur , adferunturq[ue] per cum plurime trabes edificiis

*Provincia Basiliensis.*

*Urbs Basilea.*  
*Unde dicta.*

*Flaminia.*

ædificiis aptæ , ac deinde in minori Basilea multis inservit officinis . Nam ferrantur ejus officio mola versatili arbores in astères , commolitur Frumentum , accuntur fabrilia Instrumenta , ducuntur in Braeas ferreæ Massæ , multisque aliis conducti usibus , præter id quod habet nobiles Pisces , præsertim Trutas . Et quamquam minor est opposito fluvio Byrla , est tamen eo piscoior ; pluribusque inservit officinis , etiam si Byrla non modica quoque exhibeat ministeria Molitoribus , & Chartariis , qui aliquot insignes habent officinas juxta hunc fluvium aut potius juxta rivulum ab eo segregatum & ad Moenia usque majoris Basileæ facto alveo deductum . Sunt & hic Tolderus , Largus , aliisque fluvii . Sed de his satis Restat ut de administratione Reipublicæ harum Provinciarum , paucula subjiciamus . Ex Tribubus omnes qui publicis conciliis intersunt , pari numero è singulis deliguntur , tam Tiguri quam Basileæ . Sunt autem præcipue autoritatis duo publica Consilia in hisce Vrbibus : Majus quando plures nomine totius plebis convenient , & id plerumque tantum in gravioribus negotiis & quæ ad totam Rempublicam pertinent convocatur : Minus quod quotidie Rempublicam administrat , & Civium controversias cognoscit . Ac Tigurimajus consilium est cc hominum , Basileæ ccxl i v . Minus consilium Tiguri & hominibus constat , Basileæ lxiv . Etenim è singulis Tribubus duodenii in majus consilium assumentur , nisi quod Tiguri è Nobilium societate xi ix deliguntur . In minus consilium Tiguri singulæ Tribus dant ternos homines , quaternos Basileæ : his accedunt duo Consules in singulis Vrbibus publici Concilii Capita ; Basileæ præterea totidem Tribuni , quos una cum Consulibus Capita nominant : præterea Tiguri Nobilium societas senos in Minus consilium mittit , cum alia Tribus tantum ternos dent , & adhuc sex alii liberis suffragiis cooptantur , ex quibuscumque Tribubus magistratu vi sum fuerit . Minus Consilium dividitur in vetus & novum : veterem Senatum eos nominant , qui per medium annum munere suo defuncti sunt : hi etiæ quoque convocantur cum Senatus habetur , non tamen semper vocantur , & sunt quædam novus Senatus tantum transigit . Basileæ etiam Majus Consilium simili modo dividitur , atque è duodecim Viris Tribuum sex novo & totidem veteri Senatui accensentur . Convenit autem Minus Consilium plerumque ter , nonnumquam etiam quater singulis septimanis . Vtrique Senatui præst Consul , quem Burgemeister , hoc est Civium Magistrum vernacule nominare solent , hunc Majus Consilium eligit . Consulibus potestate proximi sunt Tribuni , hos Tigurini Oberstemeister , Basilienses Zunftmeister vocant ; horum tres sunt Tiguri , duo tantum Basileæ , qui una cum duobus Consulibus quatuor Vrbis Capita nominantur . Sed hæc sufficient . Plura qui petet , Iosiam Simlerum adeat copiose ac docte de his differentem , ex quo hæc desumpsimus .

N II

Sequitur

*Ratio gubernationis.*